

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLXXXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

mero est meus, seu potius Diaboli, Illyricus. Mihi enim nihil amplius cum eo commune, quem non dubitò, nunc cum omnibus Diabolis cænare, si modo domi sunt, & asseclas ejus Spangenbergium & reliquos non passim comitantur. Hujus Epistolæ fragmentum descriptum & ad me missum, nuper exhibui Principi meo legendum, qui ejus impietatem detestatur, & Ecclesiæ DEI propter hujus perturbatoris mortem gratulatur. Qui, quid respondeam, non video aliud, nisi ut Te unâ cum fratribus tuis orem, ut veritatis testimonium perhibeatis. Cum enim me accuset, me non bona fide cum ipso in Colloquio Argentoratensi egisse. vos omnes, quotquot Colloquio interfuistis, per Christum Jesum & propter Ecclesiam oro, ut Epistolâ manu vestra singulorum subscripta testificemini de veritate Colloquii Argentinensis, idque primo quoque tempore ad me mittatis. Nihil inde vobis periculi creabitur. Et multorum animos confirmabit, & seductos fortassis revocabit gravissimum veritatis vestrum Testimonium. Qua in parte ut mihi & imprimis veritati deesse non velitis oro. Cum enim nunc materiam illam paulo copiosius tractem, & si fieri potest, ad Nundinas vestras typis excusam emittam, optarem me posse testimonium vestrum habere, quod vobis minime molestum aut difficile fore confido. Postremo scias, nunc Typis excudi refutationem Confessionis Heidelbergensium à D. D. Curatoribus mei Principis approbatam. Quam confido tibi tuisque Collegis probatum iri. Eaque non solum sub meo nomine sed omnium Theologorum Württembergensium nomine proditura est, ut intelligat Elector Palatinus, ipsius Religionem non à me solum, sed omnibus nostris Ecclesiis damnandam. Benè & feliciter vale, & meo nomine meorumque Collegarum, qui omnes Te reverenter resalutant, officiosam salutem dicas. Raptim Tubingæ, 25. Maji, 75.

*Tuisimus & vestrum omnium Totius*

Jacobus Andreæ, FRATER.



CLXXXIIX.

**S**cripsi nuper per Eslingensem quendam Ludimagistrum, qui an ad vos pervenerit, dubito, posteaquam in Alsatia, per virtum opt. D. Cancerinum promotus est ad scholasticam conditionem. Et quia nihil à te literarum accipio, in metum sum, ne valetudine adversa, aut gravioribus causis aliis, impeditus consuetum officium intermittas. Quare ut eam sollicitudine liberet, quaeso, si minus ipse potes, vel per filium Licentiatum efficias. Quod scriptum D. Jacobi Andreæ attinet, spero fructum

fructum tanto uberiores habiturum, quanto est acerbius ab Antagonistis responsum, & quia aliud jam parare se, modestum & breve per literas mihi significavit: quae de re etiam vir prudentiss. pientissimusque, Heintzelius Col. Augustanus, ad me scripsit his diebus: Bullingerum ajunt, dixisse, nihil de hac controversia scripturum amplius, sive quod ex senectâ & valerudine langueat, sive quod tædiis contentionis lassatus. Nec desinit etiamnum de Concordia spem optimam fovere, D. Jacobus, quam si ratam fecerit, sicut boni omnes optant, Dominus, me vivo, gestiens lætitia dicam: Nunc dimittis servum tuum Domine, &c. Ac ut inter tot cerebrosa ingenia, vix obtineri sana, pacifica, & concors professio posse videatur, novimus tamen, apud DEUM, nihil esse impossibile, qui piorum omnium ardentibus assiduisque votis interpellandus est, ut det nobis, unum esse inter nos, sicut est ipse unum cum patre. De Colmariensis Ecclesiæ statu, omnia tibi indubie constant. Spero Christum daturum in eam messem idoneos operarios, qui pure doceant, & vitæ fulgeant intacto exemplo, fructumque faciant uberem. De Sclerstadiensibus autem, & ipsos meditari reformationem, quæ obtineri non ita magno negotio posset, si qui illi præest Reinhardus Lucius, veritatem, quam intelligit, aperte profiteri vellet. Is meo judicio à vestro presbyterio utiliter admoneretur, qui si tam esset nobis vicinus, quam est vobis, eò profecto excurrerem, sed non est forte mea admonitione opus. Vestra sponte egregie cum hac in parte, tum aliis vigilantibus. Bene vale in Christo Jesu, vir reverende & chariss. frater. Scripsi Basil. 20. Junii, Anno 75.

d. l.

*totus & ex animo frater.*

Heckelius suæ ad vos profectiois causas ipse exponet, quem tibi commendo anxiorum, symmistas, saluta amanter & reverenter.

Fuglinus noster graviter, nec sine periculo vitæ laborat, quem tuus, & symmistarum precibus commendo. Salutat te Coccius & Gryn.

CLXXXIX.

*Salutem in Domino.*

**E**T si, Reverende in Christo pater, Dn. Doctor Clarissime, nihil seriptione dignum haberem, tamen negligendam nequaquam putavi occasionem tam commodam, saltem R. tuæ salutem ut scriberem. Visurus celeberrimam vestram Scholam & urbem, tum amicum etiam, ac ni fallor, consanguineum, M. Joannes Fabricius, Ecclesiæ Leobergenensis in hoc Ducatu pastor, & ejus